

non posse se dominium Urbis securum possidere, si non gentilis aliquis ipse bene notus Romanæ urbis pontificatum teneret. Qua occasione in eundem Stephanum parum æquus existens, cum manibus impiorum tantopere lancinari, et in facie deturpari permisit. Et quanquam hæc stigmata propter justitiam a Salanæ ministris inflictæ non dedecori sed ornamento essent, tamen ipse a publico hominum congressu hac de causa ut plurimum abstinuit. Hoc facto excitatus est animus Othonis ad vindicandum scelus Romanorum, et ad cohibendam vim illam tyrannicam, quam hactenus in promotione pontificum usurparant; quando autem illud perfecit, infra suo loco dicetur.

A Francorum proceribus adversus Ludovicum regem rebellantibus, eumque recipere detrectantibus, per Damasum quendam legationis munere fungentem nuntiavit, ut regem suum recipiant: quod si facere nolint, excommunicationis sententiam se incururos noverint. In Italia bellum inter Hugonem et Albericum, antehac semel per Odonem Cluniacensem abbatem compositum, fracta pace recruduit: qua occasione Odo a Stephano iterum Romam vocatus, pace nondum composita, ibidem ex hac vita decessit. Paulo post etiam Stephanus papa defunctus est, cum, ut habent Vaticani indices, annos tres, menses quatuor, et dies quinque sedisset.

STEPHANI PAPÆ VII EPISTOLÆ ET PRIVILEGIA.

I.

(705) STEPHANI VII BULLA PRO MONASTERIO S. VINCENTII VULTURNENSIS.

(Anno 930.)

Monasterio sancti Vincentii Vulturnensis, ejusque abbati Raimbaldo omnia jura et bona confirmat.

[Muratori., *rer. ital. Script.* I, n, 422.]

STEPHANUS episcopus, servus servorum Dei, RAIMBALDO viro venerabili abbati monasterii Christi martyris Vincentii, quod situm est in partibus Samniæ territorio Beneventano super fontem Vulturni fluminis, et per te cunctis successoribus tuis in eodem venerabili monasterio regulariter promovendis in perpetuum.

Pia sollicitudine curam agentes sacrarum Dei Ecclesiarum, utpote pro salute ovium a Deo nobis commissarum, et maxime Deo famulantium monachorum, satagimus ut divinæ contemplationi insistentibus opem ferre possimus, ut cum eis et divinæ remunerationis gratiam consequamur. Penitentibus igitur vobis, ut monasterium beati Vincentii martyris Christi cum omnibus sibi pertinentibus, cellis, capellis, castellis, et terris, sub jurisdictione sanctæ Romanæ Ecclesiæ nostri privilegii auctoritate muniremus, concedimus illud vobis, vestrisque legitimis successoribus abbatibus detinendum, ut nullius alterius Ecclesiæ ditionibus submittatur, sed cum omnibus sibi pertinentibus cellis, sive monasteriis, monasterium utique beati Petri juxta fluvium, Sabbati territorio Beneventano, monasterium Domini Salvatoris in Alise, cellam Sanctæ Mariæ in duas basilicas, cellam sanctæ Mariæ juxta fluvium Trinium, cellam sanctæ Mariæ in Castanieto, cellam sanctæ Mariæ in Palene, cellam sanctæ Mariæ in Apinianici, cellam sancti Petri in Vipera, cellam sancti Vincentii in Taccu cum omnibus monasteriis et cellis, sub apostoli-

B cæ sedis protectione permaneant. Præterea quæcunque a regibus, ducibus, principibus, vel reliquis fidelibus, ad idem monasterium collata sunt, vel in posterum conferri contigerit, et quæ prædecessorum nostrorum privilegiis confirmata vestris prædecessoribus constat, firma vobis, vestrisque successoribus, et illibata permaneant. Decernimus, quoque, ut nulli omnino hominum liceat prædictum monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas, retinere minuere, vel contrariis vexationibus fatigare; sed omnia integra conserventur, eorum, pro quorum sustentatione et gubernatione concessa sunt, usibus omnimode profutura. Obeunte vero ejus loci abbate, vel suorum successorum, nullus ibi qualibet astutia seu violentia præponatur, nisi quem fratres communi consensu, vel saniori concilio elegerint secundum timorem Dei, et beati Benedicti regulam a Romano pontifice consecrandum. Chrisma, oleum sanctum, consecrationes altarium, sive basilicarum, ordinationes monachorum, sive clericorum monasterio pertinentium, a quo malueritis accipietis catholico episcopo. Interdicimus etiam ne quis episcoporum ex eodem monasterio abbatem vel monachum ad suam synodum audeat provocare aut excommunicare; nec ibi cujuslibet Ecclesiæ sacerdotem, præter sedem apostolicam ditionem aliquam habere permitimus, adeo ut nisi ab abbate fuerit invitatus, nec missarum solemniam ibidem celebrare præsumat. Sacerdotes et clerici de quacunque ecclesia, si venerint ad habitandum in congregatione fratrum, aut monachicum suscipiendi habitum, statim recipiantur, nec a quolibet prohibeatur. Nec præsumat quisquam eidem monasterio, et cellis, vel possessionibus, vel rebus ejus violenter incumbere, vel quamlibet malitiæ jacturam

(705 Vera suppositane sit bulla hæc mutila, in tanta litterarum inopia difficile cognitu est; nec ta-

men effugere suspicionem potest, cum monasterium Vulturnense sciamus falsariis non caruisse. JAFFE.

inferre; sed omni tempore idem locus cum pertinentiis libere et quiete sub apostolicæ sedis protectione servetur. Si quis autem hujus nostri apostolici privilegii constitutionem temerare præsumpserit, nisi digne emendaverit, honoris sui dignitatem amittat, et alienus a corpore et sanguine Domini nostri Jesu Christi fiat, et cum diabolo et ejus ministris æterno incendio damnetur. Qui autem juste et pie hæc observaverit, benedictionis gratiam plenissime a Domino consequatur, et æternæ vitæ particeps esse mereatur.

Scriptum per manum Stephani primicerii anno pontificatus domni Stephani summi pontificis septimi....

II.

STEPHANI VII PRIVILEGIUM PRO MONASTERIO S. MARIE BRONIENSIS.

(ANNO 920-934).

Fundationem abbatiæ Broniensis, in comitatu Namurcensi confirmat, Romæ existente. et coram potente sancto Gerardo abbate ac fundatore Broniensi.

[Apud Mansi, Concil. tom. XVIII].

IN nomine sanctæ et individue Trinitatis, et sanctæ Mariæ semper virginis, STEPHANUS, sedis apostolicæ summus episcopus, servus servorum Dei, fratribus ac filiis nostris per universum orbem terrarum in fide catholica degentibus.

Notum cupimus esse omnibus tam presentibus quam futuris qualiter filius ac frater noster, divina annuente clementia, Gerardus abbas nobis innotuit de monasterio Broniensi, quod in melius reformavit et restauravit in honore sanctæ Dei Genitricis semper virginis Mariæ, sanctorumque apostolorum Petri et Pauli, et sancti Joannis Baptistæ.

Post vero multorum sanctorum pignora, congregavit ibi corpus etiam sancti *Eugenii* martyris, archiepiscopi Toletanæ sedis, discipuli, et ordinati sancti Dionysii archiepiscopi, et cum magna reverentia et honore inibi attulit: hæreditatem quoque propriam tam in agris quam in mancipiis, et in omnibus jure hæreditario adjacentibus, devote ac voluntarie ad præfatum dedit monasterium.

Postquam autem nobis indicavit, provolutus pedibus nostris, petiit quatenus auctoritate apostolorum Petri et Pauli malediceretur omnis qui de eorum monasterio aliquid conaretur, tam de reliquiis sanctorum quam de vestimentis, et libris, et de territoriis auferre, atque de mancipiis, vel de aliis quibuslibet rebus quas nunc habet sibi datas, vel ultra possit Dei misericordia obtinere.

Hoc quoque magnopere expetiit, ut eodem constringamur anathemate quicumque privilegium, quod de eodem loco et monasterio jam regia magnificentia et imperialis sanxerat auctoritas, aliquatenus præsumeret infringere.

Scilicet, ut nullus episcopus, nullus comes, nullus advocatus, nullus iudex publicus, nec quilibet ex judiciaria potestate in Ecclesia, aut loca, vel agros, seu reliquas possessiones memorati monasterii præsumat ingredi, aut ad causas audiendas aut

A precaturas faciendas, aut freda, vel tributa, aut obsonia quælibet exigenda, vel mansiones aut silvas vel paradas faciendas aut fidejussores tollendos, aut homines ejusdem monasterii tam ingenuos quam servos super terram ipsius commanentes injuste distringendos, nec ad ullas redhibitiones, aut illicitas occasiones requirendas nostris et futuris temporibus.

Sed liceat memorato Dei servo Gerardo suisque successoribus res prædicti monasterii cum monachis suis sub immunitatis nostræ defensione quieto ordine possidere, et ordinare, absque cujuslibet arbitri communionem, nisi ipso abbate et suis monachis id rationabiliter fieri petentibus.

Hoc quoque firmari expetiit nihilominus, ut eadem damnetur maledictione quicumque locum ipsum et loci incolas infra suos terminos hostili incendio, vel cæde, aut aliqua injusta oppressione præsumpserit aliquatenus depopulari vel infringere.

Astantibus igitur episcopis et confratribus hujus sanctæ Romanæ sedis, et consentientibus, petitionem famuli Dei Gerardi apostolica auctoritate firmari decrevimus.

Igitur auctoritate Patris et Filii, et Spiritus sancti et sanctæ Mariæ semper virginis, Dei genitricis, et omnium cælestium virtutum, et sancti Joannis Baptistæ, et sanctorum apostolorum Petri et Pauli, sancti Eugenii martyris ejusdem loci patroni et provisoris, sanctorum quorum reliquie inibi sunt, simulque omnium sanctorum quorum nomina scripta sunt in libro vitæ, excommunicamus, anathematizamus, damnamus omnes qui horum quidpiam, quæ de immunitate et libertate Broniensis Ecclesiæ et loci prælibata sunt, irritum fecerint, vel infregerint, nisi resipuerint, et pœnituerint, et ab abbate et fratribus ejus veniam promeruerint, et de cætero emendaverint.

At vero qui observator extiterit hujus nostræ præceptionis et regie sanctionis, gratiam, et misericordiam, vitamque æternam a misericordissimo Domino Deo nostro consequi mereatur.

Ego Castorius notarius regionarius, et scriniarius sanctæ Romanæ ecclesiæ, corroborante apostolica auctoritate, et sancto papa Stephano suggerente, recognovi.

Signum Domini Stephani papæ gloriosi.

Data V Kal. Maii, anno ab Incarnatione Domini...

Actum Romæ feliciter, amen.

Ego Leo sanctæ Romanæ Ecclesiæ archipresbyter, rogante domino nostro Stephano, subscripsi, amen.

Ego Valentianus episcopus subscripsi, amen.

Ego Agapitus episcopus ipso jubente subscripsi, amen.

Ego Emerentianus episcopus subscripsi, amen.

Ego Siphorianus episcopus subscripsi, amen.

Ego Liberius episcopus subscripsi, amen.

Ego Laurentius episcopus subscripsi amen.

Ego Florentius episcopus subscripsi, amen.
 Ego Gregorius subscripsi, amen.
 Ego Gaudentius episcopus subscripsi, amen.
 Ego Clementianus subscripsi, amen.
 Ego Urbanus episcopus jussu domini Stephani
 papæ, subscripsi, amen.
 Hiduinus Meliolanensium archiepiscopus sub-
 scripsit, amen.
 Wido Placentinensis episcopus, subscripsit,
 amen.
 Petrus Cumensis episcopus subscripsit, amen.

A Richuinus Stratburgensis episcopus, subscripsit,
 amen.
 Rotherus Treveris archiepiscopus subscripsit,
 amen.
 Benedictus Metensis episcopus subscripsit,
 amen.
 Richarius Leodicensis episcopus subscripsit,
 amen.
 Stephanus Cameracensis episcopus subscripsit,
 amen.

ANNO DOMINI DCCCCXXXVI.

JOANNES PAPA XI.

NOTTIA HISTORICA.

(Apud Coquelines, Bullarum, privileg. Rom. pont. Ampl. collect.)

Joannes undecimus Sergii III successor, ex Marotia scorto. (706) Widonis Tusciæ marchionis potentia pontifex constitutus est post Stephani VIII obitum. Sedit annos iv, menses x (707). Fuit autem temporibus Constantini Porphyrogeniti in Orienta, Henrici Aucupis in Occidente imp. in custodia ab Alberico fratre detentus obiit ineunte mense Januario anni 936; menses enim x supra annos iv illi tributi numero rotundo computati intelligendi sunt.

(706) Si fides Luitprando lib. II, cap. 13.
 (707) Juxta Vignolii Catalogo, in quorum primo mendose notatur m. iv, d. x; septemque alios

B Crit. Baron. præfixos, chronica, chronologosque fere omnes.

JOANNES PAPÆ XI.

EPISTOLÆ ET PRIVILEGIA.

I.

JOANNIS XI PRIVILEGIUM PRO MONASTERIO CLUNIACENSI.
 (ANNO 931).

Confirmat sanctum Odonem abbatem in regimine monasterii Cluniacensis necnon exemptionem ipsius monasterii ab omni dominatu. Statuitque electionem abbatis post obitum illius fore liberam et absque cujuslibet consultu faciendam. Confirmat etiam Romanum monasterium concessum Cluniacensi per Rodulphum Burgundiæ regem. Dat insuper facultatem suscipiendi monasteria quæ offerentur reformanda. Restituit decimas capellarum Cluniacensium ab episcopis subtractas. Confirmat pariter monetam propriam sicut Rodulphus rex Francorum concesserat. Datque licentiam recipiendi ad tempus fratres, qui pro melioratione vitæ voluerint ex alienis monasteriis ad Cluniacense transmigrare. Definit porro Cluniacense monasterium sanctæ sedi apostolicæ ad tuendum atque fovendum pertinere; vultque in signum huiusmodi protectionis dari per quin-

[Bullar. Clunac., p. I.]

JOANNES episcopus, servus servorum Dei, Odoni

C venerabili abbati monasterii Cluniacensis ædificati in honorem beatorum apostolorum Petri et Pauli, siti in pago Matisconensi, et per te eidem monasterio tuisque successoribus in perpetuum.

Convenit apostolico moderamini benevola compassione pia poscentium votis succurrere, et alacri devotione his præbere assensum; ex hoc enim potissimum premium a conditore omnium Deo promerebimur. Igitur quia petistis a nobis quatenus prædictum monasterium in illo statu, quo a Guillelmo duce per testamentum manere decretum est, nostra apostolica auctoritate in perpetuum constare decerneremus, sanctæ Romanæ, cui Deo auctore deservimus Ecclesiæ, subjectum est. Inclinati precibus tuis tibi ad regendum concedimus. Itaque sit illud monasterium cum omnibus rebus, vel quas nunc habet, vel quas deinceps ibi traditæ fuerint, liberum ab omni dominio cujuscunque regis, aut episcopi, sive comitis, aut cujuslibet ex propinquis ipsius Willelmi. Nulla